appellant coniunctum diuinitati, tam gratam concinunt harmoniam, ut eximio eam audire cupiat Sponsa desiderio (*Cant.* 2): *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Unde hoc? quia *Verbum caro factum est.*

Ante Incarnationis tempus sic intellectus excaecata acie errabant humiles, ut paucissimi, ac velut digito numerabiles fuerint, qui verum Deum agnoscerent, et venerarentur. In Deum quidam eligebant solem ipsum; lunam adorabant aliqui; igni debitum Deo tribuebant plerique honorem; invocabant nonnulli Iovem; Marti se dicabant non pauci; Veneri, aut similibus derisu dignis multi erant addicti. Huius autem ignorantiae ista erat ratio: nam cum Deus purus omnino spiritus sit, omnisque carnis secundum se expers, illi vero carne, et ossibus compacti, et corporis mole constantes essent; omnis autem nostra cognito a sensu ducat originem, ut philosophicum est proloquium: non modicam in veri agnitione Dei experiebantur difficultatem. Videns ergo suprema divinaque maiestas hac adeo opus esse cognitione, ut sine illa quis vitam consequi numquam valeret aeternam, se nostri coaptavit sensus imbecillitati, se hominem effecit, veluti ceteri, sensibilem, ac visibilem, ut eum sensus percipiat, et hinc ad mentem Verbi divini in carne pertingat notitia, sicque maiori suum agnoscat verum Deum facilitate; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

De ardentissimo veterum Patrum desiderio videndi Deum in carne humana: necnon de causis, ob quas tamdiu distulit adventum hunc, ac tandem de dispositione necessaria ad percipiendos mirificos huius adventus fructus.

Nobilis auctor Strabo illud in Ægypto Serapis in templo se vidisse scribit, statuam scilicet, cuius etiam meminit Pierius Valerianus, quam dux exercitus Mennon in montis culmine collocatam habebat vultu ad montem verso, ut non prius die erumpente, et sole noctis profligante caliginem, per os illius suos traiiceret radios, quam in montis eos effunderet radices, atque vicinis illuceret gentibus. Adeo admirabili haec statua intus extructa erat artificio, ut calor solis urens illam, suis radiis quoddam moveret musicum statuae inclusum visceribus instrumentum, quod velut suavissima tuba personabat; cum autem inferiorum incolae regionum solis spectabant ortum, tunc aurorae eam appellabant filium, eo quod aurorae vices agens, solis praenunciabat adventum. Non inficior quidem Strabonem hanc statuam vidisse, ut testatur ipse; at solis radios velut manus pulsatrices instrumentum pulsasse musicum, Ægyptiacam arbitror sapere fabellam. Verum quod in illis fabulam, antiquis in Patribus continet veritatem: eos namque divini solis ferientes radii eorum collustrabant mentes, commovebant et linguas, ut solis iustitiae Christi ortum velut coelestes praecinerent praecones. Quod quidem tanta peregerunt solicitudine, ut non solum ad ortum aurorae eius promulgarint adventum, verum ad noctem quoque intempestam eius anxie exploraverint gressus, quod Isaias testabatur (*cap.* 62): *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, ac nocte non tacebunt:* et (*cap.* 21) singulos interrogat silentis custodes noctis: *Custos quid de nocte?* Quae pars superest, post quot horas nostro erumpet aurora in hemisphaerio, solque suos apparebat profundens radios? His et consimilibus ardentissimum Patres, quo de Christi adventu flagrassent, desiderium pandebant. Qui vero celeris praecellentes hac in re fuere, hi extiterunt Iacob, David, et Isaias. Iacob (*Genes.* 49), ultimam concludens vitae periodum in haec prorupit desiderio aestuans verba: *Salutare tuum expectabo Domine.* Ac si diceret, en certe vita succiditur mea; at Salvatoris adventus, donec in mundum venerit, in me viva virens servabitur spes. Chaldaeus Paraphrastes pulchrum ad haec verba addit commentum: *Non expecto Salvatorem Gedeon, filii Ioas, quae est salus temporalis; nec salutare Samson, filii Manoe, quae est salus transitoria: sed expecto redemptionem Christi, filii David.* Regius quoque vates David ardentibus huius adventus replebat aulam suspiriis, suique videbantur sibi ferventiora, quam ceterorum Patrum desideria, ubi enim habet vulgata: *A custodia matutina speret Israel in Domino,* transfert Chaldaica: *Anima mea ardentius speravit adventum Domini, quam vigiles nocturni adventum matutinum.* Ac si dicat, sicut qui vigilias custodiunt nocturnas, integram noctem ducunt insomnem, nec oculos quidem occludunt, ne eorum dux dormitantes eos inveniens, in lethalem eos transferat somnum, qua de re solis ortum exoptant avidissime, ut perbrevi saltem tempore somnum valeant arripere: ita non minus ardens de ortu Solis iustitiae Christi David profitebatur esse ipsius desiderium. Isaias etiam maximo animi exoravit affectu, dum ad Patrem aeternum dirigens eloquium proclamabat (*Isaiae* 16): *Emitte agnum Domine, dominatorem terrae, de petra deserti, ad montem filiae Sion, et erit avis fugiens.* Patris Filium vult emitti, ut Agnum mitem scilicet, et usque ad mortem paternis obtemperantem praeceptis; ut dominatorem, qui sciat imperare, et eiusdem mortis dominium habeat, obtineatque principatum, sic erit quasi avis fugiens flumen transitura. Aves ubi discriminosum remeare debent rivum, aut maris partem aliquam, illud natura edocente solent praestare, ut unam praemittant, velut itineris ducem, quae tutum sequentibus praebeat transitum, ut de marinis anseribus late refert Pierius (*suis in Hierogl.*), cuius rei etiam meminit Alciatus (*in suis Emblematibus*). Dum ergo Isaias optabat Filium Dei, ut avem per latum flumen transituram adventare, eum, ut ducem expetere videbatur fortissimum adversus communem humani generis hostem, qui nobis iter ad salutis portum nitebatur praecludere. Denique sic ardebant antiqui Patres desiderio, sanctoque flagrabant affectu, quod ut magis desiderii crescceret flamma, et recentior in eis viveret Christi adventus memoria, quidam laminis insculptum aureis, et alii argenteis; quidam expressum tabellis, alii suarum manuum in gemmis annulorum eius gestabant effigiem, ut non obscure indicant, quae divinum Verbum edixit verba (*Ose.cap.* 12): *Et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Iacob quoque in Ioseph filii sui eum effinxit virga, atque hac eam adoravit de causa, ut dixit Paulus (*ad Heb.* 11): *Adoravit fastigium virgae eius.* et clarius Chrysostomus: *Adoravit Christum in suo typo.* S. etiam Iob in testa, qua scalpebat ulcera, Salvatoris effiguravit imaginem, ut testatur Gregorius (*in lib.* 3. *Mor. c.* 11) dicens: *Testa saniem radebat. Quid enim aliud in manu Domini testa est, nisi caro ex nostrae substantiae luto sumpta?* Praecipua quoque, quae in lege scripta offerebantur sacrificia, imagines erant, ac veluti in hominum excitantes memoria Salvatoris in hunc modum adventum. Non irrita quidem Deus fecit haec vota, nec incassum distulit haec desideria: advenit etenim denique tempus, quo adimpletum fuit, quod praecinebat David (*Psal.* 18): *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.* Hunc locum quidam intelligunt de Patribus antiquis, quorum audivit Deus orationes, ut Filii sui in mundum acceleraret adventum; quod quidem recte variis huius loci concinit translationibus: etenim Chaldaeus habet: *Respexit in orationem desolatorum;* alii, *In orationem solitariorum;* sanctus Hieronymus, *In oratione vacui;* Originale Hebraeum: *In oratione myricae,* quae est herba quaedam valde parva: quas quidem omnes uniendo translationes, idem fuit, ac dicere, audivit antiquorum Patrum orationes, qui sine Christo iacebant consolatione destituti, solitarii, humiliati, ac veluti vacui, ac suis carentes bonis. Neque ab hoc dissonat intellectu, immo et ei mirum concinit in modum Ammonii translatio, legentis: *Respexit in orationem cicadae.* Mirifico cicadas antiquos appellat Patres mysterio: sicut enim cicadae Virgilio referente coeli pascuntur rore:

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae:

sic et Patres antiqui rorem a Deo coelestem divini Verbi poscebant in cibum, tamquam eorum abunde expleturum famem (*Isa.* 35): *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum.* Unde sicut iuxta diversitatem nationum sunt diversa salutationum genera, ita a tempore Moysis, et deinceps, illa erat frequenter usitata salutatio, quam revelaverat amico suo Moysi (*Numer. cap.* 6): *Ostendat Dominus faciem suam tibi,* id est, Filium suum: quem aple satis faciem vocat, quia sicut per faciem unum ab alio secernimus, et dignoscimus; ita per Filium nobis innotescit Pater, et a Filio, et Spiritu sancto realiter distinctum profitemur. Verum quamvis in antiquis scriptae legis Patribus efferbuerit magis Christi adventus desiderium, si tamen res attentius expendatur, late in omnes diffundebatur homines, qui aliqua divinae fidei erant collustrati scintilla, cupiditas Deum visibili sub specie videndi, palpandique. Unde toto tempore, quo sub visibilis nubeculae specie, aut igneae columnae Deus praeibat Israelitas, numquam alium tentarunt venerari Deum. At cum primum in montem secessit, ut legem eis indiceret, quam servarent, eorumque se subtraxit oculis, importune instare coeperunt Aaron, ut Deum sibi conficeret, quem eis praevium cernerent oculis (*Exo.* 32): *Fac nobis Deos, qui praecedant nos.* Qua in re sic enixe agebant, quod licet Aaron rem adeo arduam, ac perdifficilem postulasset, monilia videlicet, muraenulas aureas, et similia, illud sibi persuadens, maioris illis futuram moeroris causam, monilibus, quam Diis sui expoliari; hanc tamen superantes difficultatem, ac omnibus spretis monilibus omnia ei tradiderunt, modo oculis spectabilem habuissent aliquem Deum. Viros quoque religiosos, ac pios testatur Paulus (*Act.* 17), hoc eodem affici desiderio: *Si forte attrectent eum, et inveniant.* Hunc denique communem, ac per omnes diffusum homines affectum cernens Deus, Filium suum humana induere carne, ac in terras mittere decrevit, ita ut eum videant, et manibus contrectent, ut Ioannes dixit (1. *Ioan.* 1): *Quod vidimus, et perspeximus oculis nostris, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae.* Quod igitur his exultans commemorat Ecclesia diebus, augusta sunt, quae nobis coelitus mittuntur internuncia, iam iam, breve post tempus divinum exequendum fore decretum, humanumque videndi Dei explendum desiderium: ac ita Ecclesiam sacris his contemplor diebus ea perfusam laetitia, qua solent Hispana regna repleri, dum ex remotissimis Indorum Insulis ingentem auri, et argenti quantitatem, et magnum maximeque opulentum expectant mercium cumulum, in quo omnes suam habent collocatam spem. Ut enim tunc magna exultant, ac gestiunt laetitia, scientes iam esse divitias illas inimicis immunes manibus: quod si praecedens aliqua ad portum appellat carinula, iam iam litus attingere opimis navigium mercibus praenuncians onustum, tunc iubilus augetur, magisque in omnes diffunditur gaudium. Non longe ab hac diversa ratione, sancta mater Ecclesia, his diebus inaestimabilem thesaurum orientalibus coeli e regionibus adventantem sperat, unde suum omne devenit remedium, aeternum videlicet Dei Verbum humana vestitum carne, eoque nomine nunc maiori exultat gaudio, quia mox duo de eius adventu laeta habuit nuncia. Alterum est: *Veniens veniet, et non tardabis.* Alterum vero: *Prope est iam Dominus.* Quasi dicat, prope est iam locupletissima Mariae navis, ac mane Bethlehem portum attinget, et e navi ad terras desiliet gloriae Dominus. Refert non parum ad rem hanc elucidandam, quod narrat Fabius Pictor, ut extat apud Pierium Valerianum, quod cum castra disposuissent circa hostes Romanorum Capitolium, illud obsidentes, Romani schedulam e collo hirundinis suspendentes, in qua modum et rationem

clam illis subministrandi victum, et potum reddebant, tandem hac media subventum est illis. Compertum est Ezechiam in religioso suo illo cantico Ecclesiam vocasse hirundinem, et se hirundinis filium: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo.* Nunc ergo sacra haec hirundo a longe clamans dulci melo concinit regem venturum: *Venite, adoremus*: postea vero adventui Christi proximior: *Prope est*, ait, *iam Dominus, venite, adoremus.* Ac tandem in vigilia Natalis in haec verba prorumpit: *Hodie scietis, quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam eius.* Felix nuncium, quod adventum Christi praedicit, sed felicior eius adventus: ut enim egregie dixit sanctus Chrysologus (*ser.de Nati.Christi*): *Dulcis epistola, sed usque dum veniat, qui misit; necessarium chyrographum, sed usque ad debiti redditionem; optimi flores, sed usque dum veniant poma.* Unde quanto sponsae gratior est dilecti sponsi praesentia, quam epistola, et gratior est omnibus creditoribus debiti solutio, quam chyrographum, et fructus agricolis, quam flores; ita amabilior est adventus Christi, quam nuncium illius; tamen dum ipse adventare differt, gratissima est illa, quae nostris auribus personat vox: *Hodie scietis, quia veniet Dominus.* Sic enim facile ab eo opprobrio, cuius meminit David, liberabimur, quo gentes nobis tarditatem adventus Christi obiectabant: nam ubi vulgata nostra legit: *Exprobraverunt commutationem Christi tui*; alii vertunt: *Exprobraverunt tarditatem pedum tuorum.* At iam omnino cessabit huius opprobrii occasio, cum coeli nuncium Dei in carne adventum prae foribus stare, Ecclesia id promulgante, aperte indicet: *Hodie scietis, quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam eius.* Non praetermittam hoc loco illorum curiosae, sed piae interrogationi satisfacere, qui quaerunt, quare secundus Adam primi Adami iacturam resarcire, et genus humanum a tyrannica satanae servitute eripere venturus, id per quinque millia annorum distulerit, cum tamen prudentis medici sit grassanti morbo citissime mederi; quod nec negotii difficultas illum deterrere, cum apud Deum non sit impossibile omne verbum; nec notitia, ac limpida cognitio, qua se humili atque abiecti stabuli hospitio recipiendum fore praevidebat, animum eius avocare potuit, cum videamus eo tempore consulto venisse, quo pauperibus propter multitudinem adventantium, ut tradit divus Lucas, difficilius esset hospitii receptaculum aliquod invenire. Divus Augustinus versans illa verba Pauli (*ad Galatas* 4) scribentis: *Ubi venit plenitudo temporis*, respondet ad Dei maiestatem spectare per longissima temporum intervalla felicem eius adventum differre, ut sic amplius divulgatus, ferventius desideratus pretiosior, et clarior haberetur. S. Leo Papa (*ser.* 3. *de Nativ.*) existimat Christum Dominum adventum suum in carne distulisse, ut copiosius tempus mundo suppeteret ad praeparanda, quae tanto Principi consentanea forent, aptiorque, et capacior tanti beneficii, et in Prophetarum oraculis illum praenunciantibus instructior mundus redderetur: *Hac salutiferi*, inquit, *operis mora capaciores nos suae vocationis effecit, ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat saecula praenunciatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum.* Itaque sicut in religione datur annus probationis, seu novitiatus, qui professionem antevertit, et ad baptismum recipiendum, qui est quaedam catholicae fidei professio, praecedit catechismus; ita oportuit ante Verbi divini Incarnationem, et temporalem eius nativitatem, longum temporis intervallum antecedere, ut eo mundus quasi novitius, et catechumenus in fide Christi venturi instrueretur, et ut ex divo Leone nuper retulimus, divinorum arcanorum capacior, et ad professionem fidei pronior redderetur. Cum enim huiusmodi profundissima mysteria, et maxime Dei in carne abditissimum sacramentum facultatem naturae longe excellat, oportuit mentem humanam paulatim, ac pedetentim, divina opitulante gratia, rei difficultatem superare. Atque hoc mirifice faciunt verba cardinalis Caietani (3. *p. q.* 1. *a.* 1), dicentis: *Initiabatur genus humanum ad futurum illud in ara crucis sacrificium;* ac si diceret, mundus, quasi ad divina capessenda hebetis ingenii oportuit ut diu edoceretur, et fidei scholam per plures frequentaret annos, ut mortalis naturae assumptionem ad hypostasim Verbi divini sibi facilius persuaderet. Deinde aliter ad interrogationem factam respondere possumus, si dicamus, Deum non eundem, quem nos usurpare temporis computum, quia iuxta eius numerationem mille anni sunt dies una, ut dixit David (*Psal.* 89): *Mille anni ante oculos eius, quasi dies externa, quae praeteriit.* Unde distulisse adventum suum per quinque annorum millia, quinque dumtaxat dierum iuxta Dei computum dilatio fuit. Atque in hoc sensu non immerito exposuerim verba prophetae Abacuch (*cap.* 2): *Si moram fecerit, expecta eum, quia venit, et non tardabit.* Videntur haec duo secum pugnare, et moram facere, et non tardare; at non pugnant, quia perinde fuit, ac si diceret, si iuxta nostrum temporis computum moram facere videatur; at iuxta divinum non tardabit, maxime quod latinum proverbium habet: *sat cito, si sat bene.* Cum ergo de Christo Domino dictum sit, *bene omnia fecit*, non sero, sed sat cito venisse non immerito dicemus, qui alioquin adventum suum per annorum centena milliaria differre potuisset. Gratis tamen concesso, quod sero venisset, sane tarditatem temporis celeritate expeditionis tanti negotii, quale totius erat generis humani redemptio, adamussim compensavit. Unde egregie illi quadrat cognomen illud, quod referente Mutiano, ut tradit Pierius, impositum fuit cuidam duci Murici nomine, quem cognominarunt Remoram salutarem, sumpta metaphora a pisce maris remora nominato, de quo Plinius (*lib.* 31. *cap.* 1) refert, quod tametsi quantitate parvus, tantae virtutis est, ut navim celeri navigatione pergentem facile sistere faciat. Ratio autem, ob quam illo honorifico nomine ducem illum donarunt, ea certe fuit, quod cum missus esset a rege in civitatem Gnidi ad iuvenes omnes eunuchos reddendos, volebat enim rex gentem illam penitus extinguere, ipse

quantum potuit in itinere moratus fuit, ut sufficiens eis suppeteret tempus ad placandum regem, et sententiae revocationem obtinendam: quod quia ita contingit, salutarem Remoram illum vocitabant, utpote qui sua mora eorum vitae, et salutis causa extitisset. Cum ergo morosa illa adventus Christi dilatio iuxta divinum decretum nobis proficua fuerit, et in nostram salutem cesserit, potiori iure, quam Muricem, *Remoram salutarem* illum compellabimus. Hac tanta celeritate fuit praeditus Salvator noster, ut Sponsa, quae ingenium, et indolem eius probe noverat, cervo illum compararit, dicens (*Cant.* 2): *Veniet saliens in montibus, transiliens colles.* Contemplatur hic Sponsa hominem, quasi cervum fugitivum, Deum autem eius Dominum celeri cursu eum insequentem, a quo, quousque illum apprehendit, nec per momentum insequi destitit. Quem figuratum loquendi modum verba d. Pauli (*Hebr.* 2) redolent: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Aufugit angelus a Deo per peccatum superbiae, aufugit homo per peccatum inobedientiae; illum dimittit, hunc insequitur; illum a se abiicit, hunc tenacius, quam dici possit, apprehendit, ita ut quod semel assumpsit, numquam dimiserit, nec unquam dimittet. Inter Prophetas etiam hanc Christi celeritatem vaticinati sunt in primis David, dicens (*Psalm.* 18): *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius:* deinde Isaias (*cap.* 8) ait: *Voca nomen eius accelera.* Cognomen sane valde illi consentaneum, cum breviori tempore, quam Alexander, non partem, sed universum mundum crucis vexillo in sublime erecto suae ditioni, quasi in ictu oculi subingarit. Tandem Malachias praescius Christi celeritatem praenunciavit: *Et sanitas*, inquit (*Malac.* 4), *in pennis eius;* quasi dicat, ad salutem, et vitam nobis impertiendam non deambulans, non currens, sed volans venit. Atque ex his praemissis, hanc tamquam conclusionem elicio, quod cum non tantum Incarnatio Verbi divini, et nativitas Christi, sed singulae temporis illius circumstantiae, quo dignatus est visitare nos oriens ex alto, in nostram redundaverint utilitatem, ac singulare commodum, nobis certe incumbit gratum illi hospitium praeparare: nec vero hac solum ratione, ob nostram utilitatem, sed et propter eximiam eius maiestatem: ob hanc enim prisci illi Romani urbanitatis iurium observantissimi, Imperatores excepturi, triumphales arcus, variaque simulacra ingenti pecuniarum sumptu elaborata erigebant, et pleraque alia honoris, et reverentiae argumenta illis dabant. Sed et Abraham in hoc hospitandi genere omnium praestantissimus extitit, cuius eximia cura, ac solicitudo, quam adhibuit, cum tres angelos sub specie peregrinorum in domum suam hospitio recepit, nos stimulare debet, ut excepturi non mortales Imperatores, non spiritus angelicos, sed ipsum angelorum Dominum, coeli, terraeque supremum monarcham, dignum habitaculum diligentissime praeparemus: quod qua ratione praestandum sit, egregie nos edocuit per Prophetam dicentem (*Ps.* 49): *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei;* quasi dicat, offerat mihi orationis sacrificium, et oratio viam illi aperiet ad fruendum dilecto Filio meo. Ut tamen clare constet, hoc orationis sacrificium cordis puritatem, tamquam individuum comitem, habere debere, ut indicant verba divi Pauli (*ad Tim.* 2): *Levantes puras manus*, observanda est translatio Theodoreti, legentis: *Sacrificium super faciem honorificavit me modeste, et divinam salutem ostendam ei.* Illud enim verbum *modeste*, non solum corporis, sed et morum compositionem, et animi rectitudinem indicat, qua praecellere debet, qui orationis sacrificio vacat. Sed quia non solum hoc praecipue tempore natalis Christi Domini orandum, sed mortificationi, et bonis operibus insistendum est, ideo Paraphrastes Chaldaeus (*in comment. hui. loc.*) ait: *Dominanti fomitem veluti sacrificium laudis imputabitur ei, et avertet se a semitis pravis, et ostendam illi salutare Dei:* cui Paraphrasti consonat versio Complutensis Bibliae, in haec verba legentis: *Qui honorificat me, corrigit vitam suam, et ostendam illi salutare Dei.* Ut hanc autem vitae correctionem amplectamur, audiamus Prophetam dicentem (*Psal.* 79): *Meditatus sum nocte cum corde meo, et excitabar, et scopebam spiritum meum.* Quidam legunt, *scobebam*, quod idem est, ac si diceret, cor dolabam, velut ligneam tabulam, ut planum redderem: alii: *Purgabam spiritum meum.* Marginalis glossa vertit: *Excutiebam spiritum meum*, alludens ad modum emundandi pallium, excutiendo virga pulverem ab eo: Glossa Interlinearis, et ordinaria transferunt: *Ventilabam spiritum meum*, ut in altum erigendo spiritum inordinata desideria, velut paleae, a grano bonae cogitationis, et sanctae operationis secernerentur, et longius abigerentur. Genebrardus legit: *Vexabam spiritum meum;* quasi diceret, comprimebam dolore, velut spongiam cor meum, ut parvos quos genuerat humores, distillaret, idque vi tanta praestabat regius Vates, ut continuo diceret (*Psal.* 142): *Defecit spiritus meus.* Sane qui huiusmodi sibi violentiam infert, maxime his diebus, quibus caro propter ciborum copiam, frequentem ludorum usum, confabulationis longioris consuetudinem, et alia huiuscemodi, quae concupiscentiae arrident, lascivire solet, et recalcitrare, hic sine dubio Christum inveniet, quia ut dixit Iob (*cap.* 28): *Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium.* Si ergo fratres sapientiam Patris incarnatam invenire cupitis, non in lautis conviviis, non in profanis ludis, non in execrandis choreis, sed in oratione, in temperantia, in modestia, in vitae probitate, et morum compositione, et cum recens nato conformitate invenietis; qui cum Patre, et sancto Spiritu vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Quam laetum fuerit nuncium, quo fuit mundo nunciata Christi Nativitas etc. quae ad illam digne celebrandam necessaria sit mentis nostrae praeparatio.

In hoc tam proximo nativitati Christi die, quo cum pariter nostra omnium salus apparere incipit, dicere iure optimo potero, quod gaudio exultantes quondam illi dixerunt, qui castra regis Syriae spoliaverunt (4.*Reg.*7):*Haec dies boni nuncii, si tacuerimus, sceleris arguemur.* Id enim maxime pertinet ad sacri verbi praecones, qui merito reprehendendi viderentur, si laetis vocibus, et summis encomiis tantum Dei beneficium non extollerent, et promulgarent. Haec tam laeta nunciatio ab aeterno Patre hominibus mittitur per epistolam, cuius candida papyrus est Christi humanitas, papyrus quidem angusta, et hieratica, a Deo affabrefacta, et quod in ea continetur, Verbum est aeternum, divinum illud *alpha, et omega,* plusquam aureis characteribus in candidissima humanitatis Christi charta Spiritus sancti adumbratione impressum. Dies igitur haec boni nuncii vere est, in qua Virgo pariter, et Mater sicut aurora pulchra, et rutilans egreditur, humani generis Redemptorem, splendidum iubar, promissumque solem iustitiae parturiens: nam sicut solis ortus sine aurorae aliquo detrimento fit, immo auratis illius radiis multo magis decoratur, et splendescit, sic Virginis partus sine aliqua integerrimae suae virginitatis laesione, vel damno peractus fuit: quoniam, ut ait Concilium Ephesinum, *sicut intelligendi facultas habet conceptionem, et partum a Verbo intellectuali, sine aliquo suae integritatis detrimento, sed potius per illud perficitur; sic etiam Mariae Virginis partus non aliquid in ea deteriorat, sed multum addit puritatis, et ornamenti.* Quod in vitro solaribus radiis percusso patere aliquo modo potest: nam quemadmodum sol radiis suis illud pervadens non frangit, sed exornat, et magis reddit splendidum; ita etiam Christus Iesus, radius splendidissimus a Patre luminum progressus, in crystallina purissimae Virginis viscera thalamumque penetrans, non dividit, aut frangit, sed nova integritate firmat, et novo splendore, ac pulchritudine condecorat. *Dies boni nuncii*, et summae felicitatis est hodiernus, siquidem per illum nunciatur futura salus in xenodochio terrarum, quoniam facta in coelis coniunctio planetarum est, quorum felici aspectu portenditur omnium aegrotantium felicissima valetudo; hoc est in coelo virginei ventris consociatio, et inaudita unio facta est duorum mirabilium, et supremorum planetarum, videlicet divini suppositi, et humanae naturae copulatio, qua aegroti peccatores in sceleribus inveterati sanabuntur: nam ut omne damnum suum a ventre matris hauserunt, sicut scriptum est (*Psalm.* 57): *Erraverunt ab utero;* sic etiam remedium illorum, et salus ab utero Mariae Virginis expectanda erat: illa enim *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Certe *dies boni nuncii*, quo nobis nunciatur, iam ad litus appellere navim virgineam, onustam auro pretiosiore, quam quod producit Arabia, ac multo etiam excellentiore, quam quod Salomon a regione Ophir transvehi iubebat. Iam proxima litori est navis sancta Maria, in portu Bethlehem adest, et inde felici aura flante progreditur Nazareth, solvere tributum a Caesare impositum: quod quidem facile praestabit, cum opes eius sint immensae, et thesaurus infinitus, propter unum, et solum inaestimabilis pretii numisma, quod secum habet duplici vultu signatum, quod est Christus, qui licet sit unus supposito, Dei tamen, et hominis habet vultum, illo Patri, hoc matri simillimus. Satis superque profecto valebit adeo locuples Virgo Caesaris tributi impositioni satisfacere, cum intra viscera sua, tamquam intra maritimum conchyle geslet unionem fulgentissimum, et margaritam illam pretiosissimam, Verbum Patris aeterni, cui perquam optime convenit nomen margaritae, sicut ipse Christus in Evangelio se nominavit, quam ut comparare possimus, vendere nos iubet quaecumque habeamus (*Matth.*13): *Inventa una pretiosa margarita, abiit, et vendidit quae habuit omnia, et emit eam:* quod margaritae nomen satis convenienter Christo aptatur: nam ut margarita ex rore coeli in conchyle fluente coalescit, ita in Mariae Virginis ventrem defluente coelesti rore Verbo aeterno, unde dictum (*Isai.*51): *Rorate caeli desuper*, conflata fuit inaestimabilis margarita, nempe Christus, non quidem his subiectus incommodis, quae de margaritis scribit Geminiamus (*lib.*2. *de Metal. l.* 7), dicens: *Margaritas cum intra conchylia morantur, si tempestas tonitruum, et fulgurum ingruat, solitas pati abortum.* Quod in Christo nequaquam habet locum, cum semel inclusus pretiosissimo conchylio virginei ventris, et peracta divini Verbi cum natura hominum unione, nulla potest esse tanta procella, nullum tam adversum sidus, nulla caeli intemperies tanta, qua hic amoris nexus, tam ineffabilis conceptionis atque unionis divinum sacramentum dissolvi queat (*c.*31): *Haec dies boni nuntii est*, quam praevidens Hieremias annuntiabat, dicens: *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Quid mirum o sancte Propheta, si mulier circumdet virum? hoc ne novum tibi videtur? Nihil certe magis usitatum, aut commune, quam a praegnante muliere filium propriis visceribus circumdari, et sepiri. Sed revera magna in his verbis mysteria reconduntur. Primum enim, etsi novum non sit, sed frequenter accidat, ut qui amans est, amatae puellae domum circumvagetur, et repetitis gessibus pererret, id enim quotidie cernimus; inusitatum tamen est, ut puella ipsa, si modo honesta est, domum amantis adeat, et circum illam deambulet. Hoc autem sacratissima Virgo unicum, et summum honestatis exemplum ita praestat, ut non solum domum amantis circumdet, sed ipsum captivum abducat, et illum quasi in vincula coniiciens intra viscera sua clausum custodiat,

quod cum hactenus sit inauditum, et ab ipsa tantummodo, obumbrante Spiritu sancto factum, merito dixit propheta Hieremias (*ibid.*): *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Praeterea quod mulier tenellum infantem suis visceribus cingat, et circumsepiat, quotidianum docet praegnantium experimentum: quod autem contineat, et includat virum a momento suae conceptionis integritate mentis, et iudicii perfectum, qualis erat Christus, id certe adeo est praeter usum, et consuetudinem, ut a saeculo non sit auditum. Iure igitur inquit Hieremias: *Novum creavit Dominus, etc.* Qua in re Virgo Deo gratissima, Prophetis omnibus, et Patriarchis antiquis longissime praestitit, et antecelluit: nam ipsa sola possedit, quod illi tantum speraverunt, et praesentem intuita est Dominum, quem ipsi luce quadam sublustri et tenui praeviderunt absentem, ut dixit Apostolus (*ad Heb.*11): *Iuxta fidem defuncti sunt, omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes.* Quod certe verissimum est, quippe illos sola spes aluit promissorum, et flore tantum, atque odore futuri fructus, qui per Incarnationem Verbi provenire debebat, laeti fruebantur: Virgo autem hunc ipsum optatissimum fructum accepit, et a se ipsa legit, ut in eius Angelica salutatione fatemur, ab Elizabeth verba mutuantes: *Benedictus fructus ventris tui.* Praeclara, et mirabilia fuerunt Abrahami, Isaac, et Iacob desideria videndi Christum, sed praecurrit Virgo illis, et praecelluit. Pendebat hoc vellus aureum, divinum nempe Verbum, tamquam pretiosissima gemma ad pectus Patris aeterni, et vinculo Spiritus sancti, quod a sancto Thoma vocatur nexus Patris, et Filii, tenebatur illigatum; ad quod videndum, et apprehendendum, quoad fieri potuit, antiqui Patres per fidem cucurrerunt. Cucurrit quidem Abraham veloci raptus gressu, et in montem ascendens filium suum sacrificaturus, in eius non vulgarem gratiam fuit amotum velamen, quo tantum arcanum operiebatur. Unde est de illo scriptum (*Ioan.* 8): *Vidit, et gavisus est;* non tamen eo Abraham pervenit, ut quod viderat, acciperet, et possideret. Cucurrit quoque dilectus filius eius Isaac, etsi onustus sarcina lignorum, quae pater humeris imposuerat, sed tantum vidit Christi umbram, quippe se ipsum intuens, Christi nostri Salvatoris crucem pro nobis portantis videbat imaginem. Cucurrit tandem Iacob cum angelo luctatus, sed ei solum lucta divini amoris cum ipso Deo adumbrata fuit. Sola vero sanctissima Virgo, quod omnino careret affectibus inordinatis, quibus tanquam pondere gravissimo in cursu, et progressu cognitionis Dei retardamur, prae ceteris cucurrit, et propositum certaminis bravium, quod erat Verbum divinum, apprehendit, et scrinio sui sanctissimi corporis inclusit, impleto quod Paulus dixit (1. *Cor.* 9): *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Antiquitas, ut refert Plutarchus, significatura feminam praegnantem, solem, et in medio eius stellam pingere solebat, ut innueret, quod quemadmodum stella lucem, qua splendet, accipit a sole mutuam, sic infans a maternis visceribus vitam, qua fruitur, mutuatur. Egregie accommodatur haec figura cuivis mulieri praegnanti; sed ut sacratissimae Virgini conveniat, mutanda, et invertenda est: non enim stella in umbilico solis, sed sol in gremio stellae depingendus est. Quae autem haec stella est, nisi Maria? Quis iste sol, nisi iustitiae Sol Christus, qui in mediis eius visceribus delitescit? Intraverat ante hic sol alia signa Zodiaci, presserat iam scorpionem, et leonem, tuncque sui furoris potentibus unguibus magnam stragem fecerat, et suae iustitiae dentes exacuens, ac defigens in peccatores, horribilem edebat carnificinam. Nunc autem postquam feliciter hic iustitiae Sol Virginis signum occupavit, viscera Mariae ingressus, cum illa sit benigna ovis, et mansueta, factus quoque Agnus est benignissimus, et summe placabilis. Hoc intelligere poteritis, si memineritis, quod contigit Davidi, qui ut sacra pagina memorat, dum civitas Bethlehem Philistaeorum obsidione tenebatur, siti laborans, dixit (2. *Reg.* 23): *O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem!* Quibus auditis verbis milites strenui tres per mediam hostium phalangem irruentes aquam arripuerunt, quam Regi oblatam ille bibere recusavit. Cur autem hoc? nisi quod non illa erat aqua, cuius praesertim siti ardebat: aqua enim, quam David exoptabat, illa prorsus erat, quam ad Bethlehem Mariae reperietis; haec sola est, quam qui biberit, non sitiet iterum; sola, quae sitim humani generis, nedum Davidis, explere poterit. Unde eleganter Sophronius (*orat. in natal. Christi*) sic loquitur: *Etenim David in regem a Deo assumptus, cum Philistaeorum acie undique coerceretur, spirituali siti arens, ardensque, salutarem aquam ex cisterna, quae erat in Bethlehem, bibere desiderabat. Aqua autem, quam mystice ille expetebat, et viva erat, et omnes, qui ex ea bibebant, divina virtute vivos efficiebat. Cisterna autem haec sacra sacratissimam Virginem designabat, quae Deum paritura erat: prophetia enim erat, et figura de Christo, qui est aqua viva, omnibus vitam infundens, deque mystica, et spirituali cisterna, quae aquam illam, quae nunquam deficit, utero comprehensam in lucem dedit;* haec Sophronius. Verum ut ea cum reliquis, quae de aqua Bethlehemiticae cisternae dixi, facilius intelligatis, notandum est, aquam nubibus recens lapsam asperam esse solere, ac stomacho parum aptam ad ciborum decoctionem, ut medicorum doctrina, et ipsa experientia docet; at si per aliquod tempus intra cisternam commoretur, amittit acerbitatem, et gestui, atque stomacho melior effecta, sanitati corporis magis accommodata est. Deus noster in sacris Bibliis, sicut aliquando ignis, ita et aliquando pluvia nuncupatur (*Ps.* 71): *Descendit sicut pluvia in vellus:* et alibi (*Isai.*43): *Nubes pluant iustum.* Erat Deus noster aspera olim aqua, atque ita vehemens, ut eius impetu, et exundatione fuerit obrutus terrarum orbis, ruptis coeli cataractis, erat tunc aqua minus grata bibentibus; at postquam a coelo lapsa in cisternam Spiritus sancti, hoc est, in Mariae viscera defluxit, et ibi conse-

dit, insuavis, et aspera esse desiit, redditaque est grata, et salutifera, quam regius Propheta bibere cupiebat, cum dixit: *Quis mihi dabit potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem?* Hanc autem obtinere cum non potuisset, bibere renuit a militibus oblatam. Quam popule Christianae, si, ut olim David, expetis, si illius siti teneris, corripe gressum tuum, et accede Bethlehem, bibe aquam de cisterna salutis, avidius extingue sitim, oreque pleno fauces prolue: cras enim vitae fluvius alveum egressus Christus Dominus a maternis visceribus prosilict, et verus fons aquarum viventium terram animarum nostrarum infoecundam suo fluxu reddet fertilem, et instar Ægyptii Nili, steriles peccatorum animas gratiae irrigatione faciet foecundissimas. Utar libenter in hac re verbis Iosue (*c.* 3): *Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia;* sed quae haec sunt mirabilia? *Ecce arca foederis Domini omnis terrae antecedet vos.* Haec arca mystica Virgo est sacratissima, quae portavit in sinu dulcissimum illud manna coelo delapsum. Huius vestigia sequamur, si aberrare nolumus, ipsa nobis praeducebit, quippe mundi lucem gestat. Pergamus, precor, omnes, profunda, et ardenti contemplatione Virginem comitantes, ut Bethlehem usque pervenientes, feliciter interesse pulcherrimae Rachelis partui felicissimo, et optatissimo valeamus. Ne patiamur nostram illic desiderari praesentiam, adesse properemus divinae Sarae partui, quae nobis pariet filium, de quo melius, et verius dicere illa poterit, quod Sara de filio suo dixerat (*Gen.*2): *Risum fecit mihi Dominus;* quasi dicat, laetitia me affecit Dominus, filium mihi praebens eum, qui est angelorum gaudium, et Dei summa laetitia, ac delectatio. Quare hisce diebus de hoc mysterio cogitare, de hoc loqui debemus, haec sit corporum, et animorum oblectatio; non convivia, non tripudia, non choreae, aut minus honesti ludi, quibus parum pii, et religiosi homines ita dant operam, ut magis Bacchi, et Epicuri, quam Christi natalem diem celebrare videantur. Legimus in sacris litteris Tobiam suam pietatem eo potissimum ostendisse, quod omnibus ad idola, quae fieri iusserat Ieroboam, adoranda currentibus, se ipse surripuerit, et fugieus impietatem, in Dei templum, ut precibus, et recessui vacaret, festinaverit. Incumbat igitur quisque vestrum, si ex animo Christianus est, in sancta, et pia opera per hos potissimum dies, in quibus diabolus nomine significatus Ieroboam, id est impugnans populum, animas piorum diligentius expugnat, ab operibus honestis, et rerum divinarum contemplatione quibuscumque potest artibus, et dolis avocans: cui facile resistemus, si carnis illecebras, et ludorum delectamenta fugiamus. Nunc tempus est, ut Tobiae sectantes exemplum, religiosis precibus, et piis occupationibus animum intendamus: aequum enim est, ut tantum festum expectantes, quale crastina die celebrabitur ad Bethlehem, reliqua omnia, quae corporis delectationem afferre possunt, negligantur. Quanta vero opus sit puritate mentis ad hunc diem festum digne peragendum, vel inde poteritis conilcere, quod huius festi spectatores esse voluerunt spiritus caelestes, hymnis, et canticis exultantes. Scriptum est in libro Regum a Saule splendidum, et lautum convivium factum suae Regiae proceribus, ad quod illi debito tempore venientes praeter unum David, et assignatis locis considentes mensis accubuerunt. Saul autem locum Davidis vacuum intuitus, interrogavit Ionatham, cur David non adesset? cui respondit: *Rogavit me obnixe ut iret in Bethlehem*: et ait: *Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate mea.* Haec ipsa verba quisque vestrum his temporibus dicere deberet amicis, familiaribus, et vicinis, cum ad ludum, convivia, choreas, et minus honestam mulierum confabulationem hortantur, ubi manifesto Deum offendendi periculo exponimur: quod facile repellemus, si precibus illorum abnuentes responderimus: *Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate mea.* Quod si adeo, o Christiane, duceris voluptatibus, et gaudiis abstinere doles, animadverte haec ipsa multo cumulatiora, et suaviora inveniri ad Bethlehem: ubi si musicis delectaris, angelorum audies voces dulcissimas in porticu resonantes: si rerum pulchro afficeris aspectu, ecce aderit Virgo honestissima, cuius pulchritudinem sol, et luna miruntur, et quae in te miros castitatis amores excitabit. At si conviviorum accubationes delectant, et dapes expetis regales, quid splendidius, vel quod ciborum genus suavius, quam quod Deus in hoc Paschate ex carne, et sanguine suo in altaris mensa omnibus proponit? Si tandem frui studes divitiis, atque thesauris, quos secum divinus hic infans affert, accede, quaeso, probans tamen te prius, atque diiudicans, ad illam angelorum mensam, quae cunctis exposita est in Bethlehem. Nam si Bethlehem idem est, quod domus panis; nihil profecto magis dici poterit Bethlehem, quam sacrum istud Eucharistiae tabernaculum, ubi pro animarum cibo, et delectatione positus est angelorum panis Christus Iesus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Multis sacrae Scripturae locis pulchre explicatis, Christi Domini felicissima nativitas illustratur, multiplicesque eius fructus egregia Patrum testimonia ostentant.

Aureum eloquentiae flumen s. Chrysostomus in pereleganti, quam scripsit pro Philogono oratione, maiestatem, ac celsitudinem huius festivitatis comtemplans, ait: *Festum est omnium festorum maxime venerandum: quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquam aberrat.* Apte sane vocat hoc celeberrimum nativitatis Domini festum aliorum festorum metropolim: nam sicut Graece urbs illa, quae matrix est, et potissima ceterarum, metropolis nuncupatur; ita veneranda natalis Domini festivitas, quia radix est, et origo ceterarum. Si enim Christus natus non fuisset, certe nec circumcisus, nec a regibus adoratus, nec in Thabore transfiguratus, nec in cibum, et pastum datus, nec in crucem actus, nec a morte suscitatus, nec in coelum assumptus fuisset; ideo Chrysostomus festivitatem natalis reliquarum metropolim merito vocitavit. Verum quantumvis praecellens, ac ineffabile sit hoc sacramentum, effari non desinam, quae divino afflante Spiritu concepi: ad id enim egregia divi Cyrilli verba me non modo excitant, sed stimulant, sed provocant, immo et compellunt: *Nunquid*, ait, *quia totum flumen bibere nequeo, id quod commodum est, sub mensura non bibam? Cum solem comprehendere nequeam, nunquid illius lucis usum quantum sufficit non aspiciam? et si in hortulum magnum ingressus fuero, et omne fructuum genus comedere non potero, vis ut esuriens inde exeam?* quasi dicat, minime id rationi consentaneum arbitror. Pelagus sane est profundissimum hodiernae festivitatis mysterium, unde qui illud totum bibendo exhaurire tentarit, facile suffocabitur. At quantum ad sobrietatem opus est, ebibere nobis nequaquam interdicitur. Scio Moysem in typo flammae ardentis in rubo, qui non comburebatur, huius mysterii umbram agnoscentem, legationem Domini recusasse, et tardioris, ac imperitioris linguae se confessum fuisse: at tunc non miror eum diserta lingua non esse praeditum ad divina mysteria, coelestiaque sacramenta referenda, quia tametsi Deus splendidissimum lumen sit, et tenebrae in eo non sint ullae, tamen, ut ait Apostolus, lucem habitabat inaccessibilem (1. *Tim.* 6): *Quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Nunc autem in aurea, ac splendenti lege gratiae adest Christus lux vera (*Ioan.*8): *Ego sum lux mundi:* lux, quae nobiscum habitat, *Et habitavit in nobis:* lux, quae, ut ait Ioan. (*c.* 1): *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Certe tanto lumine irradiati ad contemplationem huius mysterii mentis aciem convertere, non audaciae, sed pietati adscribendum esse reor. Adumbratam in primis reperio Christi Domini in eximia paupertate singularem nativitatem, tum in Moyse, qui in cistella bitumine linita, tanquam in cunabulo, infans positus, fluminis aquis commendatus fuit, quem ancilla quaedam videns dixit, *de pueris Hebraeorum est hic:* tum in rege Cyro, qui, ut Theodoretus testatur, in nemora, priusquam adolesceret, proiectus, summa cum inopia educatus est. Christus Dominus, de quo d. Paulus (2. *Cor.* 8) ait: *Qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est*, hanc egestatem ab infantia sustinere non recusavit, ut nobiscum, habitu inventus ut homo, conversaretur, quia ut ipse ait, *Ludens in orbe terrarum; deliciae meae esse cum filiis hominum.* Quem locum ut explicemus, observandum est, verbum illud, *ludens*, idem hoc loco esse, quod *pugnans:* licet enim ludere voluptatem, pugnare vero laborem praeseferre videatur; sacrorum tamen voluminum monumentis apertum fit, ludere pro pugnare non semel in sacra Scriptura accipi. Libro namque secundo Regum habetur: *Surgant pueri, et ludant;* et continuo subdit sacer textus: *Apprehensoque unusquisque capite comparis sui defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul, vocatumque est nomen loci illius ager robustiorum in Gabaon, et ortum est bellum durum satis in die illa.* Ecclesiasticus etiam (*cap.* 47) loquens de David, ait: *Lusit cum leonibus tanquam cum agnis:* id est, ita facile leones expugnabat, ac si agni essent. Cum ergo Sapientia Dei increata ait, *Ludebat in orbe terrarum*, indicat olim cruento bello orbem expugnasse, nunc millia millium hominum eadem nocte interficiens; nunc fame, et peste vexans, atque integra regna devastans; nunc grandinem, sulphur, et ignem de coelo proiiciens, et pene innumeris aliis suppliciis orbem contristans. Si tamen Deum interrogemus, quem in his scopum aspexerit, quem finem sibi praefixerit, respondet hunc fuisse, ut hominibus ditioni, ac dominio suo plene subiectis, faciliusque eorum, quae sibi gratissima erat, societate potiretur, quia *deliciae eius esse cum filiis hominum.* At cum homines blanditiis magis, quam minis, et terroribus alliciantur, *nova bella elegit Dominus*, ut dixerunt Debbora, et Barach (*Iud.* 4), non iam ense trucidante, non grandine devastante, non igne absumente, sed osculis, et amplexibus gratissimus omnium oculis factus infans, obstinatos animos expugnat. Memini olim, cum Alexander nobilissimam Byzantii urbem dominari cupiens, eam obsidere ingenti armatorum militum exercitu properaret, philosophus quidam obviam ei venit, dicens, quare, o invictissime Alexander, cum te, nec tuos ulla unquam iniuria affecerimus, ita nos expugnare tentas? respondit ille: pulchritudinem, ac nobilitatem illius inclytae civitatis mirabiles in suo animo amores excitasse, et hanc solam extitisse causam, ut eam suo dominio subiugandam pro viribus curaret. At tunc philosophus: non igitur, inquit, si amor te compellit, ense evaginato opus est, arma aerea depone, et dulci tua loquela, ac pristina tuae beneficentiae consuetudine pugna, et absque dubio eam expugnabis. Praestitit ita Alexander, et Byzantii dominus factus est. Non dissimiliter videns Deus, quod innumeris ab eo illatis in genus humanum suppliciis adhuc homines recalcitrantes, ac rebelles persistebant, bellica divinae iustitiae tormenta in musica instrumenta, quibus hodie angeli concinunt, commutat, ut nos omnes ad amorem suum alliciat, quia *Deliciae eius sunt*, ipso attestante, *esse cum filiis hominum.* Hoc ipsum perspicue satis nobis ob oculos ponit mirabilis illa Danielis visio, huic argumento mirifice consentanea: cum enim apparuit ei angelus chrysolito indutus, aereisque brachiis compactus, exanimis in terram cecidit, et dissoluta sunt ossa eius (*Dan. c.* 10): *In visione tua dissolutae sunt compages meae, et nihil in me remansit virium, et quomodo poterit servus domini mei loqui cum domino meo?* Postmodum vero angelo sibi iterum apparente non pristina angeli specie, sed in forma hominis, fatetur se summa alacritate perfusum vires resumpsisse: *Rursum*, ait (*c.* 6), *tetigit me, quasi visio hominis,*

et confortavit me, cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi: loquere Domine mi, quia confortasti me. Ita proculdubio innuens Deus, quod non solum visione eius sub specie angeli, sed sermone tantum ipsius homines deterrerentur, et ad illum accedere pertimescerent, hoc stupendum medium, ut eos sibi conciliaret, quia deliciae eius sunt esse cum filiis hominum, divina adinvenit sapientia, ut sub forma hominis, nervis, ossibus, et carne, instar illorum compacti, oculis omnium se conspicabilem obiiceret. Huc etiam facit illud Abacuch (*c.* 3): *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan*: quem locum licet libro praecedenti exposuerimus, aliter tamen nunc eundem elucidabimus ex illo (*Deuter.* 33): *Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan.* Non absque mysterio Abacuch praetermisit montem Sinai: nam cum in illo coelo tonante, et fulgurante summo cum audientium stupore Dominus legem suam dedisset, consulto illum praeterivit, de incarnatione Verbi divini agens, quod suavissimam gratiae legem secum afferebat. Meminit tamen duplicis montis: unius, qui erat ab Austro, scilicet Seir, et alterius, qui vocabatur Pharan, quia in his duo potissima Verbi incarnati beneficia non obscure adumbrata fuere. Iussit enim Deus aeneum colubrum exaltari, cuius aspectu infirmi sanabantur: quod satis aperte sanitatem, quam per crucis mysterium peccatores habituri erant, praefigurabat, et victoriam, quam de antiquo serpente obtenturi eramus, perspicue delineabat. Ut autem habetur lib. Numerorum, religiosi illi septuaginta senes Spiritus sancti gratia repleti fuere, quod Spiritus sancti adventum super septuaginta Christi discipulos, de quibus ait Lucas (*Act. c.* 2): *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto*, satis ad vivum exprimit. Non praetermittam ad idem insignem Isaiae (*c.* 62) locum: *Propter Sion non tacebo, et propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor, iustus eius, et Salvator eius ut lampas accendatur, et videbunt gentes iustum tuum.* Loquitur aperte Propheta de Christi nativitate in carne humana, summisque precibus a Deo efflagitat, ut egrediatur Filius e sinu Patris in visceribus Virginis carnem assumpturus; sed non utique postulat, ut descendat, ut ignis, cuncta comburens, iuxta illud Moysis (*Deut.* 4): *Audi Israel, quia Deus tuus ignis consumens est;* sed quod egrediatur, ut splendor, qui illuminat, confovet, et delectat, et vitrum, quod penetrat, non laedit, nec frangit, sed pulchrius, et splendidius reddit, ut persimilem huic intelligamus fuisse egressum Christi ex thalamo virginali, non solum illaesa permanente, sed illustriori facta Deiparae Mariae virginitate. Petit etiam, ut egrediatur velut lampas accensa: lampas enim quid aliud est nisi vas vitreum, in quo oleum, et aqua infunditur, ut ardeat, et lucem reddat? Optabat sane Isaias videre Filium Dei intra vas fragile, et vitreum nostrae humanitatis conclusum, et in templo Ecclesiae catholicae ad illustrandas mortalium mentes, quae caliginosis peccatorum tenebris obscuratae erant, existentem. In lampade quidem accensa quatuor praecipue invenies, vas vitreum, aquam, oleum, et lucem; haec eadem contuere in Christo recens nato: corpus tenerum, et infantile, ecce vas vitreum, et fragile: lacrymas ex oculis fluentes, ecce aquam singularem; inauditam misericordiam, quam nobiscum habitans impertitur, ecce oleum misericordiae symbolum: splendentes radios, quos e vultu suo emittebat infans, ecce lucem, sed non inaccessibilem: siquidem ad eam non solum reges, sed et humiles pastores, immo et animalia rationis expertia accessere. Vocat tandem Isaias Christum Dominum iustum, quia ipse iustus est per antonomasiam, et auctor iustitiae, immo ut ibidem habet Hebraica lectio, *ipse est iustitia, et salus Dei.* His omnibus egregium alium Zachariae locum nativitatis Christi mysterium adumbrantem subnectam, quem licet hoc libro iterum explicem, aliter tamen, quam nunc: *Vidi*, ait, *per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quae erant in profundo.* Virum hunc ascendentem Verbum divinum intelligo: equus autem rufus, rufa Christi caro est, super quam divinum Verbum ascendens per noctem, *dum medium silentium tenerent omnia*, ut ait Sapiens (*Sap.* 18), *et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de coelo a regalibus sedibus*, tamquam fortissimus debellator in civitatem Bethlehem prosilivit. Ait autem illum stare *inter myrtheta*, ut significaret, amorem fuisse, qui illum e sinu Patris in praesepe deiecit: est enim myrtus arbor amoris Deae dicata. Vel dicamus, quod et singulare arcanum tangit, inter myrteta esse, ut significaret, quod ex utero materno egrediens virginale claustrum non aperuit. Est enim haec singularis virtus olei myrtini ab ipsa sola myrto mutuata, quod constipat, et comprimit corporis partes. Ac tandem ait, myrteta illa fuisse in profundo, ut et profundissimam Christi humilitatem, ad abiectissimum stabuli locum eum deiicientem aperte indicaret.

Sed iam, quae nobis ex ortu Christi bona orta fuerint, ex sanctorum Patrum testimoniis expendere tentemus. Gregorius Nyssenus (*orat. in natal. Dom.*): *Quid sibi vult*, ait, *Domini in antro sedes? haec in praesepi declinatio? cur tempore descriptionis tributorum in vitam ingreditur? An perspicuum est eam, quemadmodum a legis execratione nos eripit, factus ipse pro nobis execratio, et livores nostros in se transfert, ut eius livore curemur; sic etiam vectigalem fieri, ut nos a gravissimo vectigali, quod ab homine mors exigit, liberaret? Quod vero speluncam vides, in qua nascitur Dominus, caecam hominum vitam, et in terra demersam cogita, in qua se osteadit sedentibus in umbra mortis. Pannis vero obvolvitur, et fasciis constringitur, qui peccatorum nostrorum catenas subit, et vincula: praesepe vero, in quo Verbum gignitur, bestiarum est domus, ut cognoscat bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui. E coelo delapsus panis in praesepi ponitur, ut animalia expertia rationis cibo nutriantur;* haec d. Gregorius Nyssenus: d. Ambrosius (*de virginit.*) ait: *Omnia Christus est nobis, si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus aestuas, fons est; si gravaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si coelum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quaeris, alimentum est; gustate igitur, et videte, quoniam Dominus suavis est.* D. Bernardus (*serm.* 22): *Quanti*, ait, *te fecit Deus, ex his, quae pro te passus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas eius in humanitate: quanto enim minorem se fecit in humilitate, tanto se maiorem exhibuit in bonitate, et quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Adverte homo, quia limus es, et non sis superbus; at quia Deo iunctus, non sis ingratus.* His Patrum testimoniis aliud ex Incognito (*sup. Psal.* 48), utpote multiplici eruditione refertum, hic adscribere non pigebit. Postquam enim docuerat, recte comparari Christum Dominum lapidi chalcedonio, quia sicut ille in plenilunio invenitur, ita Christus Dominus in plenitudine temporum natus est, Apostolo (*ad Gal.* 4) dicente: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*; quaerit quare tempus nativitatis Christi dicatur plenitudo temporis, et respondet his verbis: *Primo propter plenitudinem pacis, et bonorum temporalium, iuxta illud* (*Isai.* 2): *Conflabunt gladios suos in vomeres, etc.* (*Psal.* 71): *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis. Secundo propter plenitudinem gratiarum* (*Ioann.* 1): *De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Tertio propter adimplctionem figurarum, et legalium* (*Matth.* 25): *Non veni legem solvere, sed adimplere. Quarto propter plenitudinem divinarum promissionum* (2. *Corinth.* 1): *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est, immo per ipsum. Quinto propter impletionem propheticam visionum* (*Dan.* 9): *Ut impleatur visio, et prophetia, etc. Sexto propter impletionem temporis* (1. *Corinth.* 10): *Nos sumus, in quo fines saeculorum devenerunt. Septimo propter impletionem ruinae angelorum* (*Psal.* 109): *Implebit ruinas. Octavo propter plenitudinem praemiorum* (*Isai.* 58): *Implebit splendoribus animam tuam, etc. Nono propter plenitudinem universorum* (*Eph.* 1): *Proposuit in ipso in dispensatione plenitudinis ipsius instaurare omnia, et quae in coelis, et quae in terra.* Sed iam audiamus in id genus argumenti alia, quae concinne satis edisserit d. Bernardus (*ser.* 2. *de nativ. Christ.*) his verbis: *Noli fugere, noli timere, non venit cum armis: non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc: vocem tuam audivi, et abscondi me: ecce infans est, et sine voce: nam vagientis vox magis miseranda est, quam tremenda. At si cui forte terribilis, non tibi. Parvulus factus est, tenera membra Virgo mater pannis alligat, et adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies, quia non venit perdere te, sed salvare: eripere, et non ligare. Iam adversus hostes tuos dimicat, iam superborum, et sublimium colla, tanquam Dei virtus, et sapientia calcat. Duo sunt tibi hostes, peccatum, et mors, id est mors corporis, et animae; utrumque debellaturus advenit, et ab utroque salvabit te, noli timere. Et iam quidem peccatum in propria persona vicit, quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, et revera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse, et occupasse gloriabatur, et ab eo penitus in Christo aliena inventa est. Dehinc persequitur inimicos tuos, et comprehendit eos, nec convertitur donec deficiant;* haec divus Bernardus. Quibus alia, quae tam pie, quam erudite scripsit sapientissimus Salmeron (3. *de infa. Christ. tract.* 33), adiungere non dubitabo: *Civitatem*, ait, *Bethlehem in natale solum sibi elegit, partim, ut Michaeae oraculum adimpleret; partim, ut insinuaret in ea natum esse panem coelestem, quem, qui edcrit, non morietur in aeternum. Et pulchre huic rei nomina conveniunt: nam Bethlehem domus panis interpretatur, quae alio nomine Ephrata dicitur, quae fructiferam, seu fertilem significat: omnis enim animorum nostrorum satietas ex hoc uno Christo in Bethlehem nato, tanquam vero pane dependet. Nam cum ad edendum divinitatis panem, illoque fruendum homo procreatus sit, qui ad vescendum tanto pane propter infirmitatem edentulus erat, divinae bonitatis artificium fuit, ut panis ille durus nostrae carni coniunctus merum lac fieret, quod homo sugere commode posset, atque comedere.* His addamus et nos mirificos alios nativitatis Christi fructus: nam praeterquam, quod in utero Virginis clausus delituit, ut clausos, et incarceratos liberaret, et per novem menses ibi permansit, ut novem angelorum ordinibus nos aggregaret: certe mox natus censui subditur exactoris, ut nos ab inimico exactore eriperet: ortus media nocte, ut nos ab erroris nocte, et ignorantiae tenebris immunes servaret: non fuit ei locus in diversorio, ut nobis in domo Patris sui plures mansiones conferret: peregre nasci voluit, et in viae transitu, ut nos per viam veritatis ad patriam nostram reduceret: pannis involutus, et fascia obligatus, ut nos a peccatorum ligaminibus, et aeternae damnationis laqueis absolveret: reclinatus in praesepio, ut nos collocaret in coelo: egenus, cum dives esset, pro nobis factus est, ut nos inopia sua ditaret: in stabulo verus Iob sedit, ut hic olim in sterquilinio, ut testa infantilis, ac fragilis sui corporis saniem peccatorum nostrorum abraderet: ac tandem, ut paucis plura comprehendam, illius paupertas nostrum est patrimonium, eius infirmitas nostra virtus, infantiae illius vagientis fletus nostrarum est ablutio sordium: lacrymarum eius effusio nostrorum delictorum lotio: ac demum vita mortalis illius immortalem vitam nobis promeruit, ut cum ipso in aeternum felices vivamus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.